



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Controversiarvm Omnivm Hvivs Ævi Lvthero-Calvinisticarvm Libri Tres

Coppenstein, Johann Andreas

Mogvntiæ, 1627

XI. Sintne baptizandi infantes?

urn:nbn:de:hbz:466:1-35233

QVÆSTIO X.

Baptizare cui fas in necessitate?

XII. ANTICHRISTIANISMVS.

CALVINVS negat fas vlli, nisi Ordinario. Nouum hoc, eiusque proprium commentum est. Vide *Luthero-cal. p. 3. q. 22.*

CHRISTVS. Ego contrà affirmo, 1. Quia *Mat. 28. Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos:* at omnes tenentur etiam in articulo necessitatis Docere: quid n̄ & baptizare?

2. Piè fecerunt, *Act. 18.* docendo Apollinem Aquila & Priscilla par coniugum.

3. Deinde, *Act. 8.* Philippus solum Diaconus baptizauit eunuchum: Ananias, *Act. 9.* Paulum laicus. Petrus, *Act. 10.* iussit baptizari à fratribus laicis Cornelium eiusque familiam.

4. Ipso Pentecostes die baptizata sunt 3000. hominum; quod Apostoli soli facere nequiverint; iuuerint LXXII. discipuli, cum adhuc laici.

5. Saphira, *Exo. 4.* placuit Deo, quod in necessitate filium circumciderit, etiam coram Moyse, per id à morte seruato. Quanto gratius mihi fiet, seruata per baptismum in periculo subitaneum animà, pro qua mortuus sum?

QVÆSTIO XI.

Sintne baptizandi infantes?

XII. ANTICHRISTIANISMVS.

ANABAPTISTÆ negant ante XXX. annum baptizari oportere. Itemque Ministri Transyluaniz & subobscurè Erasimus.

CHRISTVS. Ego de omni ætatis gradu dixi, *Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non intrabit in regnum Dei.*

Atque singulatim de Infantibus, *Luc. 18. Sinite paruulos ad me venire, talium enim est regnum cælorum. Et afferebant ad eum Infantes.* Ideo ipsos arcè tum amplexatus, & benedixi, notante id *Marco.*

2. Deinde cum integras Apostoli familias baptizauerunt, in ijs & paruulos fuisse quis negarit? *Vt Act. 16.* Lydiæ domus, & Custodis carceris, & *1. Cor. 1.* Stephanæ.

3. Demum typus ita præmonstrauit: nam Circumcisio data infantibus est: at *Col. 2.* ea dicitur baptismus quidam, Quò rectius Ecclesia definiuit sub anathemate, ita fieri oportere.

QVÆSTIO XII.

Num qua Fides in pædobaptismo infantibus necessaria?

XIII. ANTICHRISTIANISMVS.

LUTHERANI Infantes quidem esse baptizandos; & Aut fidem in eis non requiri: Aut ipsos habere fidem, id est. motus nouos & sanctos, inel nantes ad fidem, & c.

CALVINISTÆ contrà: Infantes non credere: recte baptizari tamen; quod ante sanctificati sint, & Electi, in promissione Abraham facta. Vide *Luthero-cal. p. 3. q. 24.*

CHRISTVS. 1. Tametsi infantes actualem habere fidem non possint; vt quæ cognitione intellectus indigeat; Nec motus nouos fidei similes persentiscant: Non tamen iustificantur sine vlla fide.